

Bibliothèque numérique

medic@


**Sedillot, Jean - candidat / Sue, Pierre -
président. - De ruptura musculari**


1786.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,
Cote : ms 2346, n°1***

Collectio.
Thesium

5





Ms. 2346.

(ancienn. Suite : 498)

Collectio
Ihesium quæ regis
in chirurgorum
Scholis habitæ
fuerunt ab anno

1786
usque ad annum
1790.

Collectio
specimen puer regis
in chirurgicum
scholis habita
venit ad anno
1786
specimen de venis
1790.

RUPTURA MUSCULI

T. H. E. S. E. S.

ANATOMIA

Collectio

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786

1786


1786

1786

1786

1786

1786



D E
 RUPTURA MUSCULARI.
 T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

*HAS THESES, Deo juvante, & Præside M. PETRO SUE
 secundo, antiquo Collegii Præposito & nunc Questore, antiquo
 Scholarum Prædicarum Anatomiae & Chirurgiae Professore,
 Regiae Academiae Chirurgiae Consiliario, & pro Commercio extra-
 neo Secretario, in generali Parisiensi Praefectura Chirurgo,
 necnon Academiarum Monspelliensis, Rothomagensis, Divio-
 nensis, Lugdunensis, Burdigalensis & Aurelianensis Socio; tueri
 conabitur JOANNES SEDILLOT, Parisiensis, Doctor Medicus
 Remensis, Artium liberalium in almâ Universitate Parisiensi
 Magister, olim in Regiis Invalidorum adibus Chirurgiae alumnus,
 & nuperrimè Nosocomii generalis dicti la Pitié internus Chi-
 rurgus, THESEOS AUCTOR.*

*Die Sabbati decimâ octavâ Martis, anno salutis 1786, à sesqui-
 secundâ post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
 PRO ACTU PUBLICO,
 ET
 MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
 Collegii, necnon Academiae Typographi, viâ Cythareâ.

M. DCC. LXXXVI

DE
RUPTURA MUSCULARI.
T H E S I S
ANATOMICO-CHIRURGICA.

HABET AVTOREM, JOHANNES MICHAELIS LAURENTI, REGII CHIRURGICAE
COLLEGII, ACADEMICI TYPOGRAPHI, VITI CUSTODIS.
PARISIIS, IN REGNI CHIRURGICORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO,
MAGISTERII LAUREA.

ANNO MDCC LXXXVI.

PARISIIS,
IN REGNI CHIRURGICORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO,
MAGISTERII LAUREA.

Typis MICHAELIS LAURENTI, REGII CHIRURGICAE
COLLEGII, ACADEMICI TYPOGRAPHI, VITI CUSTODIS.

MDCC LXXXVI.



DE
RUPTURA MUSCULARI.

PARTES musculosæ quædam nimium contractæ, vel ab ictu externo inter ipsam contractionem inflicto vehementer percussæ, extensæ, si invictus remanserit tendo, *rumpuntur*; & tunc adesse *rupturam muscularem* dici potest (a). Tendines, calcaneum & patellam frangi posse ab ipsâ nimia contractione musculorum, auctoritatibus & experimentis satis constat; sed nihil adhuc de *rupturâ fibrarum carnearum*, quæ tamen &

(a) Hunc novum incultumque Chirurgiæ agrum primi hucusque extricarunt celeberrimi Roussille de Chamferu, Doctor Med. Parisiensis; [Mémoire lu dans une Séance particulière de la Société R. de Méd., le 16 Février 1781.] & Faguer, Reg. Acad. Chirurg. Consiliarius, Doct. Med. Rem. [Mém. lu dans une Séance publ. de l'Ac. R. de Chir., le 11 Avril 1782.] Propria hujusce morbi symptomata & curationera

A

facilior videtur & frequentior reipsâ deprehenditur, scriptum fuit (b). De hâce tantum agere nobis est animus. Quare, ex genuinâ peculiarique subjecti istius morbi cognitione ut majus emergat lumen, ad anatomen prius confugere necesse est.

EX ANATOMIE.

OMNIS ferè corporis moles constat è musculis, qui motus animalis sunt instrumenta; musculus autem dicitur *caro mollis, rubra, succi plena, contractionis capax*, & multis è partibus, sed præsertim fibris, quas musculosas vocant, constructa. Fibræ musculosæ quodam modo fasciarum similes, vel in longitudinem porrectæ, ex aliâ ad aliam partem, quam movent, extenduntur; vel planiformi superficie hinc & inde prodeuntes, in unum coeunt; aut mirabili contextu diversis figuntur; vel

ideonam dilucidè primi indigitaverunt. Profuit sanè hic labor: multa verò desiderantur, quæ observationibus & autopsiâ anatomicâ tantum dignosci & comprobari queunt.

(b) D. de Chamferu primam hujusce morbi cognitionem Platæto ex his locis tribuit: « Extensis insuper nimium, per motum violentum, musculi tendinibus, adeo ut veluti distracti, longiores quàm par erat, fiant; accidit, ut membrum postea sufficienter elevare nequeant; & quia tunc ægri rursum se colligunt, perseverans sit malum. Quod in manibus gravia onera sublevando, ex valido illo nisu quandoque evenit; uti & in genu articulo accidere vidi, per impetum adeo impulsio, ut multi qui illic occurrunt tendines, ex illo subito & violento motu distracti, longioresque facti, aut à connexu vinculorum liberati, postea partem rectè flectere amplius non potuerint, claudicantesque ægri postea remanserint. » *Fel. Plat. Prax. Med. t. I, p. 292, motus impot. caus.* Sed ille auctor non ad *rupturam muscularem*, de quâ nihil agebat, sed ad elongationem tendinum talia referebat.

3

demum ovata aut orbiculari specie (*sphincteres*) ostia quædam circumducunt.

Inter musculos alii toti carnei sunt : aliis præter carnem pars quædam accedit altera, cui tendinis vel aponevroseos nomen, pariter è fibris maxime constans, sed durior, densior, siccior & cum insigni splendore albicans. Plerique tendinosi aut aponevrotici in principio & in fine tantum, alii in medio longitudinis suæ, alii demum carni suæ diversiter tendineas portiones immixtas habent adjectasve. Insuper vasa sanguifera & lymphatica, nervi demum & membrana cellularis, in quâ plus-minus-vè deponitur adipis, omnem musculorum compagem instruunt.

Fibræ musculares ita connectuntur inter se, ut primo intuitu caro continua videantur. Réverâ tamen in fasciculos parvos, parvulosque iterum atque iterum desinunt; usquedum simplicissimæ visu appareant, quas quidem ipsas è multiplici fibrâ elementari confectas esse credunt. Has partes connectit materies quædam albicans, subtilis, rara, obsequiosa, facillimè diducenda, lubrica, quæ per omnem musculum perpetuo tractu pergit, diciturque *membrana cellulosa*. Et illa quidem constare deprehenditur è fibris, membranisque subtilissimis, simplicibus, flexilibus, quæ relinquunt inter se media spatiolaque, mutuo consensu alia in aliis hiantia, ut adipi pateat transitus. Omnibus hæc interjecta fibris ac pertinaciter adnexa, quasi totidem vaginæ, ambit illas omni ex parte, à vicinis distinguit, & cum iis connectit; majora minoraque producit inter fasciculos intervalla, prout hic laxior, ibi densior est; neque solum in musculis continetur, sed ex iis etiam ubique emergens, veluti integumentum complectitur eos, & *membrana propria musculorum* dici solet. Fibræ musculares in tendineas continuo tractu desinere existimant alii;

A ij

lũ verò has & illas discrepare à se invicem naturã, sed cohesione quãdam mediã arctè conjungi, contendunt. Quantum hæc ultima sit potior sententia, ex ipsã nostrã thesi satis constabit.

EX CHIRURGIA.

RUPTURA muscularis multifaria educit phenomena, prout diversæ aut multiplices afficiuntur fasciæ fibrarum, prout eadem plus-minus-ve præcipuis inserviunt motibus, vel demùm prout majori aut minori tonicâ vi donantur (c).

Plerique muscoli sunt rupturæ obnoxii, non verò quælibet musculorum pars. Etenim ratione & experienciã (d) constar, hanc nunquam in mediis fibris muscularibus, sed in tendinosis tantùm aut in carneis juxtã tendinosas, rupturam fieri. Fibræ enim muscularis proprium est, ut validiori nisu reluctetur in istis suæ longitudinis spatiis, quæ majori affluxu vitalium humorum intumescunt. Porro pars media fibræ carneæ inter ipsam contractionem restringitur, fitque densior & firmitior, dùm extremitates elongantur; fiuntque idèò graciliores & imbeciliores, præcipuè juxtã tendines, quibus prætereà continuo tractu fortasse non inhaerent. Quod quidem invictum in modum demonstrare videtur propositio sequens: in elixâ bubulâ caro disjungitur facillè à tendinibus, quibuscum glutine quodam satis perspicuo alligari deprehenditur.

Hinc varia sedes morbo haud difficillè assignanda. Quinimò dilucidè indicatur dolore fixo & acri in ulnis, juxtã

(c) Observavit frequentius M. Faguer hunc morbum in iis quorum muscoli sunt rigidi & vehementer contractiles.

(d) Plurima traduntur exempla in Commentariis suprã citatis.

tres aut quatuor pollices suprâ faciem internam carpi; in brachiis, juxta tres circiter digitos suprâ olecranium; in humeris circum scapulas, & sæpius juxta lumbarias latissimi musculi dorsi insertiones; in columnâ vertebrali sæpius juxta cervicem & lumbos, aliquandò etiam secùs longitudinem dorsi; in feminibus, juxta implicatas musculorum insertiones suprâ partem internam poplitis; & in cruribus frequentiùs juxta suram infimam, v. g., in gastrocnimiis juxta carnosarum ad tendineas fibras adhesionem.

Non semper sub diro aspectu innotescit morbus. Accedit ut conatus, vel ictus externos sequantur tantùm distentiones nimix vel dilacerationes quædam, undè dolor tumorque levis, rarò sub tactum cadens, non absque tamen aliquo motûs impedimento.

Ruptura muscularis ferè nunquam completa dici potest, nisi fortassè in oblongis & gracillimis musculis, videlicet, plantari, in quo sæpius observari creditur, diciturque gallicâ voce : *coup de fouët*. Fatendum est tamen hanc etiam ratiocinio potiùs quàm experienciâ comprobata fuisse. Incompleta verò ruptura musculos majores, tùm planiformes, tùm etiam oblongos, diversis gradibus occupat. Singulæ enim fibrarum fasciæ separatim contrahi in diversis sitibus valent. Quod quidem rectè dicendum est de musculis spinalibus, quorum ortus & fines multifidi sunt omninò implicati. Hinc etiam deducitur ratio, cur nona deò gravia symptomata sequantur talium *rupturam*, ac aliorum, videlicet, cruralium. Nam in priori casu aliæ aliarum vices gerunt fasciæ fibrarum; in altero autem nihil amittunt ex vi suâ quin, propter imbecillitatem, gravetur corpus.

Quid plura! neminem fugit aliquandò musculos plùs-minùsve eretismo corrugari : undè dolor, convulsio, motûs antistix & ingens similium caterva.

RUPTURAM muscularem indicat, in ipso ictus aut nissus tempore, repentinus ac vividus dolor, circumscriptus immotusque, unum ex jam memoratis locis profundè occupans, pertinax, acrior in lumbis & collo, quàm in cæteris locis; ille quidem non rarò syncopen, sæpiùs verò partis impotentiam parit, præsertim in extremitatibus; quod si fibras exteriores gastrocnimiorum, præcipuè apud macilentos, obsidet malum, detegitur cavum quoddam plus-minus-ve tactui sensibile. Quoquomodo res sese habeat, semper anguntur motus, gradatim crescit dolor, apparentque affecto in loco, major minorve ingurgitatio & ecchymosis. Hoc verò ultimum symptoma constanter è divisione vasorum sive textus cellularis, sive fibrarum carnearum procedit; in priori casu, leve, externum, repentinum, propriam morbi sedem occupat, & sicut alia superius allata signa, non solum ad *rupturam muscularem*, sed etiam ad distensiones luxationesve mollium referri potest; in altero casu, grave, profundum, occultum aliquandò per plurimos dies, tandem conspicuum, sed in partibus declivis præsertim (e), pervicax demùm, pathognomonicè pronantiat *rupturam muscularem*.

Præterea si absint signa quibus alia cujuscumque partis dilaceratio aut ruptura dignoscitur, nullum tunc superesse poterit de morbi indole dubium (f).

Jam vero varia inter accidentia primum sibi vindicant locum spasmus, convulsiones, motus impeditio, & inflammatio. Illa

(e) Observavit M. Faguer ecchymosim in gastrocnimiorum rupturâ propagatam fuisse, secundum longitudinem tendinis Achillis, usque ad partem superiorem pedis.

(f) *Ruptura muscularis* multis ignota artis magistris, fuit tanquam

tamen neque semper, neque eâdem vigent intensione. Deprehenduntur potissimum, quando disruptæ carneæ partes novis obijciuntur conatibus, qui omninò resiliunt in partes musculares vicinas, quæ nimirum primario quanquam nisu non victæ, extrâ modum tamen distractæ fuerunt; undè propter irritationem & inflammationem suis implendis contractionibus prorsus impares fiunt. Ex dolore, partiumque divisarum discessu nascitur motûs difficultas aut etiam impotentia, quæ perdurat quòdusque, diffuso humorum affluxu, quædam fiat divisarum partium coadunatio, ope cujus pristina resurgat motuum concordia. Tam felicem incassum speraveris eventum, si naturæ soli, aut irritis medelis hicce morbus committatur. Tunc enim quandòque subsequuntur molestus dolor, ingurgitatio textûs cellularis, claudicatio, impotentia pertinax, & atrophia (g). Hoc autem

scopulus ad quem non semel appulerunt. Sæpiùs etiam stabiliendæ agyrtarum famæ multùm inserviit. Ann. 1779. Cantiliacis S. Condæi Principis in ædibus, stabularius quidam decidit è curru: ut vitaret minitantem pectori unam ex rotis, vehementer humeris connisus est; protinùs acutum & pungentem dolorem, dyspnœâ stipatum, in latere pectoris persensit. Accersitus nullam agnovi costarum fracturam, & mollium incusavi dilacerationes. Etsi pluriès sanguinem miserim, fomentaque emollientia & resolutiva potiusque vulnerarios adhibuerim, nulla fiebat dolorum remissio. Post octo dies advenit agyrta quidam: nec morâ; unius costæ fracturam & alterius fissuram pronuntiavit, fidemque sibi fecit. Partes læsas dirum in modum contrectavit, fasciamque corpori arctissimè constringentem applicuit; sicque lapsu temporis perfecit curationem. Hanc sanè praxim impudens peperit ignorantia. Attamen hocce in casu, prospero non caret eventu, ut in alio ejusdem generis morbo, quem è tenebris eduxit celeb. Pouteau. Vid. *Œuvres posth. sur la luxation des Muscles & sur leur réduction*, tom. 2, pag. 277 & suiv.

(g) Mulier quædam scetili in pavimento fidens repentè surrexit, acutumque simul & pungentem secùs partem internam genu persensit dolo-

ultimum accidens, a mediis curatoriiis, nempe quiete & fasciarum usu, sæpius ortum, exercitatione brevi cessat (*h*).

In eo posita est tota curandi ratio, ut sese invicem attingant divisæ musculorum partes, idoneoque detineantur in contactu. Hoc faciliè sequenti perficietur methodo. Musculorum scilicet partium imminuenda actio tonica antiphlogisticis, aut etiam si adsint plethora, stasis inflammatoria vel irritatio, celebratâ atque iteratâ venæ sectione. Maximâ quiescant in remissione musculi læsi, itâ ut paululûm intendantur illorum antagonistæ. Cæterùm perito solertique Chirurgo satis ex anatomicis cognitionibus innotescant varii & idonei, pro variis locis, situs. Partî applicetur fascia methodicè constringens, quæ læsum muscûlum integrè complectatur, & supernè & infernè ad mediam partem admoveat. Competit trunco fascia corporis dicta, scapulari superius & fasciâ litteram T exhibente inferius contenta; extremitatibus generatim fascia circumvoluta, aut suræ ex pelle caninâ, ligulâ adstrictæ, & peculiariter ruptis gastrocnimiis machina dicta gallicè : *pantoufle de M. Petit*. Hæc media, muscûlum, ut ita dicam, complanando, divisas ad se adducunt partes; agglutinationi proindè dant locum, & solæ plerumque sufficiunt curationi.

Quod si quibusdam partibus nequeant aptè applicari fasciæ nectentes, supersunt tunc temporis requies, situs, fomenta resolventia, aquarum thermalium usus, aliaque similia.

rem, ita ut ceciderit ibidem. Adhibitis mediis generalibus, in usum venerunt etiam suâ vice per plures annos aquæ thermales, sed absque ullo successu. In impotentiâ & atrophîâ genu crûsque remanserunt. Hæc Observatio traditur à D. Chamferu.

(*h*) Quod quidem multotiès Observasse in rupturâ musculari partium inferiorum asserit M. Faguer.

Per viginti aut quinque & viginti dies fasciis vinciantur partes, nisi adsint gravia symptomata, quæ ex se satis indicant quid pro re natâ sit agendum. Licet plerumquè penitus perficiatur curatio in hocce temporis spatio, tunc etiam sunt adhibendæ cautelæ, ne ægrotantes rursus nimis conatibus impendantur (i).

(i) Datur exemplum à M. Faguer *rupturam gastrocnimiorum* post triginta dies recruduisse.



Per viginti annos quinquaginta et viginti dies saluberrime vixit
nulla adhuc gravis symptomata, quae ex se talis indicium daret
pro rebus agendis. Inter haec quinquaginta annos periculum
tunc in hocce tempore fuit, tunc etiam tunc adhibenda
causa, ne ageretur nulla nimis commoda impendat.

(1) Datur exemplum in M. L. quod vixit per viginti annos
et viginti dies saluberrime vixit.

